

recta, & directio conuersa. Directio directa est, quæ fit secundum successionem signorum. Directio uero conuersa, est quæ fit contra successionem signorum. Ad propositum in directione directa locus anterior est locus significatoris dirigendi, & locus sequens, est locus ad quem fit directio; sed in directione conuersa è contrario. Locus anterior, est locus ad quem fit directio, & locus sequens est locus significatoris qui dirigitur. Et hoc quia in directione directa, locus ad quem fit directio, mouetur ad locum significatoris dirigendi, sed in directione conuersa fit è contrario, quia locus significatoris dirigendi, mouetur ad locum, ad quem fit directio. Item notandum quòd secundum communem opinionem hilech & planetæ directi debent dirigi secundum successionem signorum, Partes uero & planetæ retrogradi debent dirigi contra successus signorum, & hoc quia partes & planetæ retrogradi mouentur contra successus signorum. Ptolemæus tamen 3. quadripartiti capitulo 11. uidetur uelle, quod significator dirigendus si fuerit in parte orientali, seu in parte ascendente, dirigi debet secundum ordinationem signorum solummodo; sed si fuerit in parte occidentali, seu in parte descendente, dirigi debet non solum secundum ordinationem signorum, sed etiã in contrarium ordinationis signorum. Dicit tamen Halialben. capitulo præal cuncto, quòd alij sapientes non concordant in hoc. Item sciendum est, quòd nisi Planeta, uel stella, ad quam fit directio, fuerit in una linea, uia, uel circumferentia cū significatore qui dirigitur, siue fuerit fortuna uel infortuna, non apparebit multum eius significatio in bono uel in malo. Et hoc quia licet ipse planeta obtinet locum significatoris secundum longitudinem, non obuiat ei secundum latitudinem. Si autem uolueris scire utrum hæc duo loca sint in eadem circumferentia, scias declinationem gradus significatoris, & eius partem, & similiter scias latitudinem significatoris, & eius partem. Et si ambæ fuerint in eadem parte, scilicet, septentrionali uel meridionali, aggrega eas simul; sed si fuerint in diuersis partibus, minue minorem de maiori, & habebis declinationem signatoris ab æquatore æquatam, quæ erit

n      septen-